



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus VIII. De Autoritate & Usu Pallii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)



TITVLVS VIII.

De Authoritate & Ufu Pallii.

SUMMARIUM.

1. Pallium Archiepiscopo necessarium.
2. Ejus origo & propagatio :
3. Erymon, Natura & forma traditionis.
4. Sumi dicitur de corpore B. Petri.
5. Peri debet à Papa instanter,
6. Et intra tres menses à consecratione.
7. Conferri Plenitudinem potestatis Pontificalis,
8. Per se exercenda in propria Provincia :
9. In qua Archiepiscopus sola,
10. Et in omnibus ejus Ecclesiis Palliò utitur.
11. In aliena Provincia nullius consuetudinis :
12. Sed solius privilegii vi eò uti potest.
13. Eò tamen & Pontificalibus uti potest in Ecclesiis exemptis.
14. Quando locus exemptus extra Provinciam sito equiparetur.
15. Festa & functiones, in quibus usus est Pallii,
16. Adherentia persona,
17. Et cum ista sepeliendi.

1. **A**D Ecclesiam Metropolitanam sive Archiepiscopatum quâcunque vià erectis, etiam post suâ Electionis Confirmationem, & ipsam Consecrationem, ad officii ac dignitatis suâ plenam administratio-

nem, & Archiepiscopalis etiam nominis appellationem necessarium est Pallium, c. *Nisi specialis* 3. sive, ut quidam, licet minus usitatè loquuntur, Palleum. Cujus Originem & usum in Ecclesia perantiquum esse, omnes facillè agnoscunt; eò enim primis nascens Ecclesiæ seculis Romanos Pontifices usos, perhibet Polydor. Virgilius *Lib. 4. de Invent. rer. cap. 22.* Cum tempore verò id aliis quoque Archiepiscopis, non omnibus, sed aliquibus duntaxat, ex speciali privilegiò: & à B. Petro quidem S. Materno primo Trevirensium Antistiti missum, Rupert. Tuitiensis *Lib. 1. de Divin. Offic. cap. 27.* à S. Lino in singulare potestatis testimonium privilegiumque aliis Præfulibus concessum, S. Maximus *Homil. de Veste Sacerdot.* à S. Marco B. Sylvestri successore Episcopo Hostiensi, Platina *in Vita Marci Papæ*: à S. Gregorio I, sive M. Augustodunensium Episcopo Syagrio indultum, ipsemet Gregorius *Lib. 7. Epist. 112.* à Zacharia & Pelagio SS. Pontificibus ad Antistites Arelatenses, qui sedis Apostolicæ Vicarii in Galliis erant, directum, alii testantur apud Gonzalez *in c. 1. n. 7.* Posterioribus dein temporibus Pallii usus communis esse cepit omnibus Archiepiscopis, hisque superioribus Primatibus ac Patriarchis, teste Hostiensi *in Summa n. 1.* Demum, id sedis Apostolicæ Legatis, ut Archiepiscopis præstarent, mitti consuevisse, Vicecomes *Volum. 4. de Riti-*

de Ritibus Missæ Lib. 4. cap. 18. & ex speciali ejusdem summæ Sedis privilegio quibusdam Episcopis, ut Papiensi in Lombardia, Lucensi in Tuscia, Bambergensi in Germania, Dolensi in Gallia, Quinque Ecclesiensi in Ungaria &c. competere cæpisse, advertunt Barbofa *Jur. Eccles. Lib. 1. cap. 7. n. 103.* & Gonzalez *in c. 1. cit. n. 8.*

3. Porro, Pallium nomenclationem suam accepit, vel à *Pelibus*; quòd à Veteribus indumentis pelliceis impostum deferretur, ut Isidorus *Lib. 10. Origin. cap. 24* vel à dictione *Palam*; quòd tanquam vestis exterior palam gestaretur, ut præter alios vult Sopranus *de Re Vestiaria cap. 31.*

Undecunque autem nomen sortitum sit, à Panormit. *in Rubr.* & Sylvestro *V. Pallium* ejus figuram describentibus, esse dicitur Vestis alba in circuli modum pectus & humeros circumdans, & quatuor nigris crucibus distincta, anteriori parte nonnihil dependens: ab Hostiensi verò & aliis, ejus naturam & effectus potissimum spectantibus, præcipuum ornamentum Archiepiscoporum de corpore B. Petri sumptum, quòd illis Pontificalis officii Plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur, ut desumitur ex *c. Significasti 4. de Elect. c. Nisi cit.* & ex ipsa Forma traditionis, quæ est, *Ad honorem Dei omnipotentis & B. MARIE Virginis, & BB. Apostolorum Petri & Pauli & Domini Pape Clementis & Ecclesie Romane, nec non & Ecclesie N. tibi commisse tradimus tibi Pallium de corpore B. Petri, in signum plenitudinis Pontificalis officii, ut utaris eò intra Ecclesiam tuam in Nativitate Domini, Festivitate Protomartyris Stephani, Circumcisione Domini & aliis diebus, qui in Papai privilegio exprimentur, in nomine Patris † & Filii † & Spiritus † Sancti,* Glossa *in c. Ad honorem 4. V. eòdem &*

ibi Gonzalez n. 4. Quà descriptione & formâ.

Dicitur Pallium primò *Sumptum de corpore B. Petri, c. Significasti & Glossa cit.* vel; quòd contextum & benedictum supra corpus sive altare B. Petri in altare solennitatis Vigilia reponatur, indeque Archiepiscopis eorumve procuratoribus tradatur, Glossa *cit.* vel; quòd de Jure à solo Romano Pontifice B. Petri successore (ab aliis autem, videlicet quatuor Patriarchis majoribus Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino & Hierosolymitano solum ex privilegio, *c. Antiqua 23. de Privileg.*) conferatur, ut vult Panormit. *in c. Ad honorem cit. n. 1.* vel potius, ut Laiman *in c. cit. n. 2.* existimat; quòd significet veluti particulam Ecclesiasticæ potestatis, derivatam ex Plenitudine potestatis Pontificiæ, in B. Petro ejusque successoribus residentis; alii enim Archi- & Episcopi vocati sunt in partem tantum sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, *can. Qui fecit 2. q. 6. & c. Ad honorem cit.* Atque hæc causa est, cur Pallio ubique & in omnibus Missarum solenniis solus Papatù indicandam suæ potestatis Ecclesiasticæ plenitudinem: ceteri verò in suis districtat Ecclesiis & certis festivitibus à Glossa *cit.* enumeratis, & aliis jura cujusque provincie consuetudinem utuntur, Glossa *cit.* Hostiensi. *in c. cit. 4. Ex quibus & Barbofa n. 2.*

Secundò in forma traditionis dicitur *Concedi*, intellige ad petitionem; quia mitti à Papa non solet, nisi obnixè atque instanter, *can. Prisca 2. dist. 100.* vel ab ipso Archiepiscopo per se, vel per procuratorem ad hoc speciale mandatum habentem, *can. Operatum 3. dist. cit.* &c. quidem, cessante legitimo impedimento, intra tres menses à die consecrationis, vel si jam antè consecratus fuit, à die Confirmationis acceptæ numerandos: & præstitis

præstito prius Ecclesiæ Romanæ Fidelity-
tatis atque Obedientiæ juramentò fuerit
petitum, *can. cit.* Quod si Archiepi-
scopus consecratus & confirmatus id,
cessante legitimo impedimento, intra di-
ctum tempus non peteret, commissæ sibi
potestate & dignitate privaretur, *can. 1.
dist. cit. Glossa in can. cit. V. Consecra-
tionis & Panormit. in c. Ad honorem cit.
num. 8.*

7. Tertiò cum Pallio conferri dicitur
Plenitudo potestatis Pontificalis; quia ante
illius receptionem Archiepiscopus etiam
consecratus, licet de propriæ diocesis sub-
ditorum causis cognoscere, eas delegare,
beneficia conferre, ordinandi consecran-
di que licentiam dare, aliòque jurisdi-
ctionis Episcopalis actus exercere non
prohibeatur: exercere tamen nequit ma-
jores, hoc est, Archiepiscopo propriæ jus-
isdictionis actus; ut sunt visitare provin-
ciam, cogere Concilium Provinciale
&c. *c. Quod sicut 28. §. super eo V. Præ-
terea de Elect.* neque etiam actus Or-
dinis Episcopalis majores, sive eos, qui
non nisi inter Misarum solennia aut sal-
tem cum Episcopalibus insignibus sive
ornamentis peragi solent, ut collatio sa-
crorum Ordinum, confectio Chrismatis,
consecratio Ecclesiæ &c. sunt, *V. Præterea
cit. Azor p. 2. Instit. Lib. 3. cap. 24. q. 5.
& Laiman in c. Nisi cit. n. 1.*

8. Neque, ut primò occurru apparet,
cum his pugnat; quòd hujusmodi actus
ab alieno Episcopo invitatus exercere va-
leat extra provinciam: & in provincia
etiam per alium à se delegatum, *c. Suffra-
ganeis 11. de Elect.* quia, cum Pallio uti
intra suam tantum provinciam possit, *c.
Ad honorem & c. Nisi cit.* ejusmodi
actus extra provinciam tantum ut simplex
Episcopus: intra provinciam verò suam
ut Archiepiscopus exercere censetur, *V.
Præterea cit.* Deinde delegatio non est

actus Ordinis, sed jurisdictionis duntaxat,
*Glossa V. cit. V. Sine Pallio, Episcopo
solum confirmato ante consecrationem,
& vacante sede Capitulo permissus
Jure antiquo, c. Nullus 3. de Temp. or-
dinat. in 6. Panormit. in c. Suffraganeis
cit. n. 1. ubi Barbola n. 1. & Gonzalez
num. 5.*

Neque huic doctrinæ adversatur
Regula, *Qui facit per alium, perinde est,
ac si faciat per se ipsum*, quæ est *72. in 6.*
ex eâque à Joan. Andr. in *c. cit.* deductum
Regulare dogma, *Quod quis non potest
per seipsum, neque per alium potest.* Non,
inquam, hæc doctrinæ & reipsoni ante
redditæ adversantur; quia dictis Regulis
locus duntaxat est in iis, quæ alieno, sci-
licet delegantis jure & autoritate à de-
legato seu commissario fiunt; hæc enim
ab eo, qui per se illa exercendi jus non
habet, delegando committi non posse,
exploratum est, cum *Nemo det, quod non
habet: & Plus juris in alterum transferre
quis nequeat, quam ipsi competat, Reg.
Nemo 79. in 6.* Cum ergo ordinatio
clerici aut etiam Episcopi, consecratio
Ecclesiæ &c. sint actus, qui à delegatis &
suffraganeis non potestate per delegatio-
nem accepta ab Archi-Episcopo: sed vi Or-
dinis & consecrationis suæ competente ex-
ercentur: & à delegante eis solum tribua-
tur jurisdictio ad legitimam ordinatio-
nem &c. requisita allegatæ Regulæ dele-
gationi non obstant; quia id, quod de-
legatus ab Archiepiscopo delegante acci-
pit, scilicet jurisdictionem, iste ante re-
ceptum Pallium & consecrationem habet,
*cit. Panormit. & Laiman n. 1. &
Azor cap. 29. q. 7.*

9. Quarto, Pallio utendum *Intra Ec-
clesiam suam* dicitur, duplici sensu. Pri-
mò quidem ac præcipuè; quòd eò uti
Archiepiscopus nequeat in Ecclesiis provin-
ciæ alienæ: & Episcopus, cui com-
petit,

Aa a

petit, in Ecclesiis alienæ diœcesis: licet eò uti in omnibus ille provinciæ, iste cunctis diœcesis sibi subiectæ Ecclesiis possit, arg. c. 1. ubi Glossa V. *Quamlibet* Panormit. & Laiman in c. cit. n. 1. Secundo; quòd seclusò speciali privilegiò Pallio uti non liceat extra templum in domo privata, vel sub papilione aut tentorio, Glossa in c. *Cum sis. 6. V. Ubiunque* & Barbosa in c. cit. n. 2. Nisi fortè, quòd hominum affluentium multitudinem Ecclesia non capiat, præ ejus foribus altare Portatile extruatur; hoc enim casu extra Ecclesiam celebrantem Archiepiscopum Pallio uti posse, existimat Laiman in c. *Cum sis. cit. num. 2.* quòd hujusmodi celebratio cum eadem solennitate substituat eì, quæ in templo fieri debebat.

10. Dubium hòc locò est, an Pallii usus extra propriam provinciam licitus fieri queat vi Consuetudinis. Ratio dubitandi oritur à paritate cum consuetudine eò utendi extra templa: quam, ubi viget, observari posse Gregorius M. insinuat *Lib. 1. Epist. 54.* Sed quidquid sit, an ejus usus bis teruè in anno extra templa licitus fieri queat, consuetudine etiam immemoriali extra provinciam ejus usum licitum non evadere, c. *Ex tuarum 5. decisum*, & ratio est; quia hujusmodi consuetudo repugnat institutioni & substantiæ seu formæ traditionis Pallii, quæ est, *ut eò intra Ecclesias tuæ provinciæ utaris*: cujusmodi consuetudinem non valere constat, arg. c. *Non putamus 2. de Consuetud. in 6.* quòd textu rejicitur consuetudo, ab Officiali seu Vicario Generali ad Episcopum appellandi; quòd hujusmodi consuetudo repugnet substantiæ appellationis: quæ essentialiter non ad idem, cujusmodi est Episcopi & ejusmodi officialis, c. *cit.* sed ad superius tribunal fieri debet, *can. Placuit 2. q. 6. &*

l. 1. §. 3. ff. de Appellat. Laiman in c. Ex tuarum cit. n. 1.

Quare proposita consuetudo tantumquam corruptela merito reprobatur: nisi fortè Pallio extra propriam provinciam cum alienæ provinciæ Archiepiscopi, etiam Episcopi Ordinarii loci consensu utendi consuetudo Privilegii aliquando obtenti famà adjuvetur, quod addit Engel ad hanc Rubr. n. 7. Privilegiò autem hujusmodi jus acquiri posse, patet ex c. *Tuarum cit.* ubi tamen Hostiensis in fine & Panormit. n. 11. advertunt, Pallio extra provinciam propriam utendi privilegium à Papa non concedi: nisi ad necessitatis vel alia justa causa exigat, & alienæ provinciæ Episcopi vel loci Ordinarii consensus accedat. Sed hinc

Aliud non levis momenti & non dubium oritur, an Pallio uti Archiepiscopus, & ipse atque alii Episcopi in Pontificalibus celebrare valeant in Ecclesiis exemptis, propriis istarum Rectoribus invitatis. Ratio dubitandi est; quòd Archiepiscopus Pallium ferre extra provinciam suam, c. 1. & c. *Ex tuarum cit.* & Episcopus Pontificalia exercere in aliena diœcesi sine istius Ordinarii licentia nequeat, ex prohibitione S. Synodi Tridentinæ sess. 6. cap. 5. de Reformat. Loca autem exempta, sita intra provinciam, extra istam existentibus æquiparentur, & de diœcesi non esse dicantur, Petr. de Ubaldis de Canonica Episc. cap. 6. q. 4. n. 11. & Gonzalez in Reg. 8. Cancell. Gloss. 47. à n. 182.

Verùm; quia loca exempta, licet non de diœcesi, in diœcesi tamen sunt, arg. c. *Cum Episcopus 7. ibi. In quolibet loco ipsius diœcesis non exempto*, de Offic. ordin. in 6. in Ecclesia exempta in Pontificalibus celebrationem Archi- & Episcopi competere, clarè habetur *Clement. 2. de Privileg. & Pallii privilegio orationis* eius

etis ejus usum ibi permiffum, cum Glossa in *Clement. cit. V. Pontificalibus*, Panormit. *ibid. n. 3.* Quaranta in *Summa Bullar. V. Archiepisc. auct. n. 32.* & aliis tradit Barbosa in *Clement. cit. n. 3.* & desumit ex istius textu, celebrationem in Pontificalibus generaliter & sine Pallii exceptione concedente. Ratio est; quia hujusmodi celebratio, etiam cum Pallio, respicit dignitatem & honorem sine administratione jurisdictionis: dignitatem autem & honorem ita respicientia Archiepiscopi in provincia & diocesi sua ubique permittuntur, *Clement. cit.* eamque ob causam allegatò Tridentini decretò Pontificalium (non omnium, juxta dicenda ad *Tit. 10. n. 4.*) usus ipsis tantum in aliena: in propria autem diocesi vel provincia nullibi prohibetur, ut in *c. fin.* notat Fagnanus *n. 18.*

Aliud esset, si in loco exempto Archiepiscopus causas cognoscere, degradare &c. imò etiam ordinare clericos, Chrismare & similes actus vellet exercere; cum enim etiam hi posteriores actus non solius Ordinis, sed etiam jurisdictionis sint, eos in locis exemptis istorum Rectoribus invitis exercendò, exemptionis privilegium violare censeretur, Fagnanus *l. cit.*

14. Neque celebrationi in Pontificalibus obstat ratio dubitandi; quia loca exempta in diocesi sita, extra hanc existentibus solum æquiparantur quoad ea, quæ sunt officii & jurisdictionis contentiosæ, quam Archiepiscopi. sicut in sitis extra diocesim, sic etiam in exemptis nequeunt exercere, *can. Luminoso. 18. q. 2. & arg. c. Cum Episcopus cit.* Non autem quoad insignia dignitatis, præeminentiæ & honoris sine administratione jurisdictionis & officii: quorum usus intra suam diocesim ubique Episcopo permiffus est, *Clem. cit. Fagnan. l. cit. n. 6. §. 17.*

15. Quintò, utendum Pallio dicitur *Cer- tis diebus sive solennitatibus, c. Cum sit cit.* cujusmodi secundum Glossam in *c. Ad honorem V. hoc sunt Nativitas Domini cum duobus festis sequentibus, Circumcisio & Epiphania Domini, Dominica Palmarum, feria V. in Coena Domini, Sabbathum Sanctum, tres dies Refurrectionis, festa Ascensionis & Pentecostes cum duabus feriis sequentibus, tres vel quatuor festivitates B. Mariæ Virginis, Nativitas S. Joannis Baptistæ, solennitates omnium Apostolorum, festum S. Michaëlis Archangeli, Commemoratio SS. omnium, Festivitates principales Ecclesiæ Archiepiscopalis, Dedicaciones Ecclesiarum, consecrationes Episcoporum & clericorum ordinationes, dies etiam Anniversaria consecrationis Archiepiscopalis, verbò solennitates receptæ usu Ecclesiæ Metropolitanæ cujusque, Laiman in *c. cit. n. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 12.**

16. Sicut non omnibus diebus, sic non in omnibus functionibus Pontificalibus, & præsertim in Missis pro defunctis, Pallio uti Archiepiscopum aut etiam Episcopum palliatum, seclusò privilegio posse, satis clarè insinuat *c. fin. cum,* quòd id non exprimat in forma traditionis: tum verò; quòd in ejusmodi sacrificiis & diebus, eorum celebrationi destinatis, indumentis lætitiæ significantibus in Ecclesia non liceat uti, Gonzalez in *c. fin. cit. n. 3.*

17. Sextò demum Pallium concedi dicitur *Archiepiscopo*, hoc est ejus personæ; quia, licet jus Pallii privilegium reale sit ipsius Ecclesiæ vel dignitatis Archiepiscopalis: & propterea transeat ad quemcumque in ea successorem: ipsa tamen Pallii concessio sit personæ, ut illius usus alteri nequeat communicari, sed extinguatur cum persona, quam inseparabiliter sequitur

quitur usque ad sepulchrum, in quod defuncti Archiepiscopi Pallio suo induti inferuntur, *c. Ad hoc 2.* ubi Laiman *n. 2.* *Scit. Pirrhing n. 20.* Unde

Dubium oritur de Archiepiscopo, à sua translato ad aliam Ecclesiam Metropolitanam. Cui in ista Pallii usus licitus videri potest; quòd adhareat personæ. Sed, licet propter hanc rationem eum sequatur, illò tamen uti nequit in Ecclesia posteriori, *c. Bona 4. in fine de*

Postul. pralat. quòd ei datum sit respectu Ecclesiarum certæ provincie. Unde, sicut ejus successori, sic etiam ipsi petendum est novum Pallium, quò utatur in posteriori, Pirrhing *cit. n. 20. in fine.* utroque tamen indutus, aut eò, quòd prius accepit, corpori seu capiti supposito est sepeliendus; ut *in c. Ad hoc cit.* notat Innocentius *n. 2.* Panormit. *n. 7.* & Laiman *n. 3.*



TITVLVS IX.

De Renuntiatione.

Relatura, licet naturâ suâ perpetuæ sint, non infrequentè tamen ante personarum cas obtinentium obitum, & Renuntiatione potissimum sive Resignatione amittuntur. Unde præcipuis ad eas perveniendi viis hæc, tanquam præcipuus eas & cætera beneficia Ecclesiastica amittendi modus subjicitur.

ARTICVLVS I.

De natura & varietate Renuntiationis.

SUMMARIUM.

1. Definitio Renuntiationis :
2. Qua esse debet spontanea & libera.
3. Metu extorta rescindenda :
4. Ipso tamen jure irrita non est :
5. Sicut & qua dolò est obtenta.
6. Metu vel dolò renuntians beneficio,

ejus ratione ad Horas non netur.

7. Renuntiatio alia Expressa, alia tacita

8. Expressa vel Simplex est vel Conditionalis :

9. Qua vel ex causa permutationis,

10. Vel in favorem,

11. Vel cum fructuum, ingressus & reservatione fit.

Renuntiatio in genere est spontanea & libera cessio sive dimissio & abdicatio juris sui. Flamin. Parif. *de Resignat. lib. 5. q. 1. n. 9.* Unde hac Rubrica proponitur Renuntiatio sive Resignatio beneficii Ecclesiastici rectè dicitur esse, spontanea & libera dimissio sive abdicatio proprii beneficii, ex justa causa facta coram legitimo superiore eam acceptante, ut *can. cit. Doctore n. 34.* eam definit Laiman ad hanc Rubric. *Proprii, inquam, & spontanea ac libera.*